






XLIX.

57



LECTISSIMORUM SPONSORUM,  
Viri ornatissimi & doctissimi

DN. IOACHIMI SCHORI,  
SERVESTANI, SS. LL. STUDIOSI  
solertissimi,

ET

Pudicissimæ Virginis,

MARIÆ THEOPOLDIÆ

Reverendi & clarissimi Viri,

DN. M. IOHANNIS THEOPOLDI, ECCLESIAE SERVESTANÆ AD  
B. Nicol. Pastoris, & circus cisAlbiaci Superintenden-  
dentis, inq; illustri Gymnasio Anhaltino SS. Theol.  
Professoris meritissimi: Filia,

SACRUM NUPTIALE:

decantatum

Musis & Gratiis Amicorum, ex Academia Mar-  
purgensi Hassiaca.



*Marpurgi Cattorum*

Ex Officina Rodolphi Hutwelckeri,

Anno 1614.





CARMINA VOTIVA

In honorem & gratiam harum nuptiarum fusa

M. JOHANNES STRACKIO ESSENDIENSI.

**P**hosphore redde diem, qui sit sine nubibus atris  
Sic tibi digna tuo pangemus carmina sensu:  
Phosphore redde diem quo non felicior alter  
Humanas operas cælo lustravit aperto:  
Namq; *Maria* venit *Theopoldia* cujus amores

Ac thalamum dotesq; pias sociumq; cubilis  
Cantare aggredior: nostris precor annue cæptis.  
Nunc etiam Dirceus olor, nunc carminis adsit  
Author Olympiaci, veteris cui scribere campi  
Pythea & acceptos palmæ victricis honores  
Æternis mandare notis, & tollere cælo  
Divinus labor ac studium fuit, alite Musa.

Ergò virgineo quæ formosissima catu  
Sponsa veni in medium pulchro diademate clara  
Tum pietate tuarum Patris nomine magni  
Magna futuro tuo per plurima secula sponso.

Sponsa veni ut vestros teneros lustremus amores  
Nam tua res agitur tibi gaudia magna parantur,  
Progredere ut vestros teneros lustremus amores.

Cedite, cedite, limina pandite, pandite fani  
Ferratas bifores, calathis profundite vestris

Pur-

Purpureos flores, violasq; rosasq; thymumque,  
Delicias veterum: queis nil fragrantius unquam.  
Ecce meat multis virgo comitata puellis  
Dives opum, dives pictai vestis & auri,  
Non secus ac quondam Cecropis filia mista  
Virginibus multis repetens pia fana Minervæ  
Ibat, eratque decus pompæ, comitumque suarum.

O ter felicem sponsum, cui talia amanti  
Premia respondent queis tu nunc, Schore, refulges!  
Nam thalamo viduo spaciosas ducere noctes  
Phœbeasque faces sub rauco fallere cantu  
Heu quam est exosum! quàm ingratum! quàmque molestum!

Hoc pia Penelope quondam conquesta marito  
Frigida deserti premeret cum terquora lecti.  
Hoc Paridem docuisse ferunt cum Carbasa Ponto  
Redderet & pulcram Lacedæmona classe subiret,  
Formosamque Helenem raperet, bellumque ciceret  
Adversus Grajos Proceres Spartæque juventam.  
Te quoque quid referam pulcerrime floscule vatum  
Pyrame? quid Thysben teneram? vos perdidit eheu!  
Sors inimica bonis: quod si fortuna dedisset  
Conjugio stabili teneram exercere juventam,  
Non vos crudeli confossos vulnere flerem.

Sed bene habet: *Schora* melior fortuna renidet,  
Cui jam gratantur cives, gratatur & hospes  
Munera digna ferens: geminant cui mania plausus  
Ingentes montesque sono ripæque salutant.

Ergo quam vobis cœlesti munere vitæ  
Pars superest illam longum extendatis in ævum,  
Innumeram sobolem Christo numerando, senectæ  
Delicias vestræ: cui voto pondera subsint.



ALIUD.

**Q**uis felicior obsecro vidit  
Cæli purpureas faces  
Quàm qui conjuge amabili  
Secula fera notavit:  
Ipsus multa pericula fugit  
Fessus limina, conjugis  
In molli gremio cubans  
Oscula blanda ferendo.  
Certè multa pericula fugit  
Nec florem thalami sui  
Impurâ meretricula  
Sordib. imbuit ullis:  
Produxit sobolem numerosam  
Gnavus pacificâ domo

Et sub vite suâ sedens  
Non timuit fera bella:  
Ergò terq; quaterq; beatum  
Nostro carmine te cano  
Vir doctissimè Schoree,  
Hac celebritibi luce.  
Adsit gratia Numinis almi  
Imò adsit benedictio  
Et te colle Sionia  
Imbuat imber amoris.  
Seros adspicias precor annos  
Et multam sobolem legas,  
Ast salve atq; vale diu,  
Schore Deo patriq; chare.

EPITHALAMIUM.

**N**æ caute natum caucasea puto  
Nurritum ab Afra Tigride, semine  
Ortum nec humano, jugales  
Qui renuit tumidus calores:  
Vis quippe parvo tanta Cupidini:  
Inyictus atq; audaculus is puer  
Divosque mortalesque turbas  
Imperio subigit potenti.  
Non fulminantem magna timet Jovem

Ma-

Matremque in ipsum spicula projicit  
Grynæus & torretur hujus  
Indomitus facibus Deastri:  
Saturne, primus progenitor Deum  
Quin qui furentes sulphureis jugis  
Versas caminos, semper artes,  
Mulciber, igne adeo pufillo:  
Nec cuncta certus figere qui solet  
Arcus, nec artes, qui medicarier  
Cunctis ab arcu te, artibusq;  
Phœbe cupidineis reservant:  
Sic & dicatus nuper Apollini,  
Qui militasti non sine gloria,  
*Amice*, pectus motione  
(Vi Themidos) graviore liber  
Cunctâ, Diones aliger en puer  
Formosus ille accallidulus, tuas  
Trajecta telo aureo per ossa  
Sauciat interiùs medullas:  
Venæ calentes vulnus alunt grave,  
Et clancularis carperis ignibus,  
Non vulnus Heros est levare  
Phillyrius potis: haud dolores  
Levabit inquam Pæonis herbula,  
Non pharmacum ullum, non panaces potens  
Prodest: Triumphum plausu ovante  
Fert puer Idalius: sed Idem  
Fert & medelam: Saucia amoribus  
Ardere tantùm dicitur & Soror,  
Ut victa demum fronte lætâ  
Annuat, & thalami ligare  
Optet marito fædere: posthabens

Ædes parentum, infixæ favoribus  
Hæret viri, dulcis sororum  
Gratia marcuït atque fratrum:  
Hinc ergo tandem promeruit tui,  
Ocelle, *Schori*, justitiæ, & decus,  
Hus usque non-gnari maritæ  
Jura subire tori sacrata:  
Mi gaudeam ni? ni tibi gratuler:  
Atrum prius præ candido amavero!  
Primis mihi tu notus annis,  
Est tua laus, tua nota virtus,  
Te moribus Juno decorat, suo  
Te collocupletat patrimonio,  
Prudentia Pallas coronat  
Erudit ipsa Themis decenter:  
Mî gaudeam nî: nî tibi gratuler,  
Musas prius perfecto odio odero,  
Qui Phœbeos odit sodales  
Oderit ipse magis Camœnas:  
Huc ergo Musæ, progenies Jovis,  
Gaudete Musæ, suavibus & modis  
Per læta Parnassi vireta  
Ad socios properate plausus:  
Huc huc optimam quæ Cypron obtines,  
Memphinq; munitam: Huc Pharigis Dea,  
Huc Gratiæ, Nymphæque: dulcis  
Huc Hymenæe, parate gressum:  
Et qui calentis vulneris auctores,  
Cupido primus, neu fugito, amplius  
Flammas foveto suscitatas,  
Suppeditans alimenta largè.  
Iò triumphæ, Sponsæ laboribus,  
Io, peractis, post tot adorceas,

Spon-



Sponsæ cubas formosæ in ulnis  
Victor ova, cane, Io triumphæ!  
Io triumphæ, *Sponsa soror mea,*  
Non absque fato & numine provido  
Te te ardorimo corde flagrans  
Mutuus in thalamum coëgit:  
Favete linguis, pangite & Sospites  
Nuptis parantes fata vicario  
Voto, precatu demereri  
Numinis auxilium studete:  
Favete linguis, dicite dicite,  
Tu sponse dignus conjuge, conjuge  
Et sponsa digna est, digni at ambo  
Ambo simul meliore voto:  
Favete linguis: cominus & sequar,  
Licet culullis non ego confruar:  
Plura & mero votum valebit  
Pectore candidiore natum:  
Vovebo: sancti ut foederis istius  
Fundus, regit qui cuncta potens Deus,  
Fuget mali quicquid nocebit,  
Quicquid ubique duit bonorum:  
Sic ergo rectum plurima faustitas,  
Lectum beabit mutua caritas,  
Non inquinatum unquam malarum  
Mole gravi querimoniarum:  
Sic ergo mensam ramiolæ velut  
Corona cinget prolis amabilis,  
Ast seculo ullo fila vitæ  
Nescia des Lachesis resolvi.  
Novæ affinitatis, & bonæ scavæ ergò modulabatur  
M. Abraham Theopoldus Servestanus Anhaltinus: Sponsæ Frater.  
GRY.

GRYPHUS IN NOMEN SPONSI.

**I**gnotum sponsi si nomen forte cuiquam,  
Sex id ego obscuris denoto literulis,  
De primâ denis subtractis ritè secunda  
Provenit; at remove bis tria, quarta patet;  
Tertia sed quintam duplicata ostendit; ei adde  
Binas, confestim sextaq; subsequitur:  
Ultima nota tibi, primam si nôris, eidem  
Tandem subtrahe bis octo, secunda venit:  
Si nunc quod sponsi nomen mihi dixeris, hospes:  
Præmiolum en; pro me pocula mille bibes.

ALIUS.

**I**ntegra si vox est: Phœbi tum lata triumphat  
Proles, immensos evacuando Scyphos:  
Frontem tolle; Dei laudes sine fine videbis,  
Carmina de illius laudibus aure bibes:  
Tolle caput; fructus legit, & maturat in æstu  
Hanc segetem exiguum quam modò gramen alit:  
Sume pedes: unco terram proscindet aratro,  
Occans, purgabitq; & metet agricola:  
Exime sed pedibus furcam, supponito sphæram;  
Erranti pecori gramina grata facit,  
Tolle pedi talum mutato, defluet atro  
Tabo, quin trepidè verba sonosque dabit:  
Occipiti sphæram Romanam & junge figuram,  
Sedes flammæ propria amoris erit:  
Hoc ænigma tuæ, SCHORI, proponito sponsæ,  
Solvere nî poterit, basia pœna fuerit:  
Non numerum præscribo tibi, sed basia dico:  
Elige quot miseris versibus atque fave.

*Eodem authore M. Abr. Theopoldo.*

FINIS.

Cl 1926

ULB Halle 3  
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift


Sb.

Paul Friedrich  
Buchbindereimeritor  
Merseburg a. S.

1017







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta


White

3/Color

Black



59



SPONSORUM,  
& doctissimi  
MI SCHORI,  
LL. STUDIOSI  
mi,

Virginis,  
LOPOLDIÆ  
ssimi Viri,

ANNIS THE-  
SERVESTANÆ AD  
s cisAlbiaci Superinten-  
tio Anhaltino SS. Theol.  
tissimi: Filia,

UPTIALE:  
tum  
um, ex Academia Mar-  
Hassliaca

*Cattorum*  
phi Hutwelckeri,  
614.

